

esset aliorum episcoporum, posse; sin autem, essent tres aut quattuor. Qua de causa ita inquit: 'Nam in ipsis rebus spiritalibus, ut sapienter et mature disponantur, exemplum trahere a rebus carnalibus possumus. Certe enim, dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quique vocantur, ut qui in via iam coniugii præcesserunt, in subsequenti¹ quoque copulæ gaudio misceantur. Cur non ergo et in hac spiritali ordinatione, qua per sacrum ministerium homo Deo coniungitur, tales convenient, qui vel in profectu² ordinati episcopi gaudeant, vel pro eius custodia omnipotenti Deo preces pariter fundant?' Primi apostolici semper in Decimbrio mense, in quo nativitas domini nostri Iesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium, qui fuit a beato Petro³ quadragesimus nonus. Ipse primus sacravit in Februario, ni fallor nullam ob aliam causam, nisi intimando, coniungendos propinquius Christi corpori, qui per sacrum ministerium provehantur. Quinquagesimus primus Gelasius secundo in eodem, quinquagesimus tertius Simachus in eodem similiter, quinquagesimus sextus Felix quartus in eodem, et ipse primus in Martio. Gregorius, qui fatus est omelias evangeliorum numero quadraginta, et explicuit Iob et ceteros quam plurimos libros, sexagesimus sextus ordinavit in quadragesima et primus in Septimbrio; Leo iunior octogesimus secundus primus in Iunio. Omnes hos menses consecratos ab eisdem apostolicis viris illorum consecratione videmus. Nescio quis titulum fecisset, quem habemus, quod oppido opto scire per vos. Si de Gelasio agitur, Gelasius namque in Februario consecravit, et post illum Simachus et Felix. Unde apparet a modernis tenor observatus, quem nos hodie tenemus. In quo quid mihi veri simile videatur, monstrabo, ut dixi, vestrae solertiæ. Hoc est in singulos articulos Christi genealogiae tangant. Et merito, quia, ut protulit sanctus Gregorius, Deo homo coniungitur per sacrum ministerium. Scimus enim per L et duas ebdomadas extendere solem⁴ cursum suum. His tripertitis per tres tesserecedecades, fiunt ebdomadæ XL duae. Tot sunt generationes, secundum Matheum, Christi cum ipso. Tot enim ebdomadæ inveniuntur a prima sabbati primi mensis usque ad quartam sabbati decimi mensis. Inter finem decimi mensis quarta sabbati et initium primi mensis prima sabbati decim ebdomadæ supersunt. Haec mihi videtur ratio, ut prima sabbati primi mensis, quod est initium XIII ebdomadarum, quasi in loco Abrahæ⁵ coniungantur per sacrum ministerium Deo fideles. Et in quarto mense secunda sabbati, quod est initium secundi catalogi⁶ quatuor-

1) Verbessert aus 'subsequentes'. 2) Verbessert aus 'profecto' Hs., 'profectu' Beda. 3) 'betro' Hs. 4) 'sole in' Hs. 5) 'Habrahe' Hs. 6) Verbessert aus 'cathalogi'.